

pium fuit sanandi. O mira celeritas pietatis divinae! Illico perstrepit in aula principis incolumitatis recuperatio, grates ab universis referuntur deo et vota frequentantur beato Conrado. Idem princeps sanus factus et incolumis votum suum solvens cum oblatione muneris et orationis venit ad sepulchrum beati Conradi et annuntiavit omnibus, quam ipse expertus est virtutem. Quo facto totius terrae Hassiae dominus et patronus venerationem beati Conradi artius impressit omnibus suis posteris atque etiam plebeis mentibus.

Cap. 30 [De curatione nobilis dominae de Heynawe]

In partibus Wedrebiae nobilis domina Elisabeth²⁰ et probitatis aemula, coniux potentis viri domini de Heynawe, tam valido languore fuit detenta, ut omni sanitate desperata usque ad extrema videretur esse perducta. Apparentibus enim in corpore ipsius propinquae mortis veris indiciis iudicabatur quasi pro mortua. Congregatis parentibus eius et amicis ad planctum unus ex eis habens fiduciam in domino votum vovit pro infirma, ut, si infra eiusdem noctis spatium inciperet convalescere, ipsa foret domum Hegene et beatum Conradum personaliter visitatura. Sicque vota vovens et multiplicans preces suspiriis et lacrimis meruit apud Christum, beatum Conradum habere patronum. Nec mora optatam opem sensit adesse aegrota. Ut tamen magis gratum esset miraculum, statim cibum sumpsit et loquebatur, deinde magis et magis convalescebat, donec totaliter fieret incolumis. Postea eadem matrona non immemor beneficii votum pro ea factum devote adimplevit. Quotiescumque etiam personae domus Hegene postea ad habitationem eiusdem dominae diverterunt, coram singulis gloriata de suo patrono eas laetanter suscepit, grates intimas retulit et negotia ecclesiae, quanto fidelius potuit, promovere studuit.

Cap. 31 [De curatione uxoris militis de Elkirhusen]

Simile quiddam accidit uxori militis de Elkerhusen²¹, quae, cum esset prae nimietate doloris et aegritudinis in extremis constituta, beatus Conradus fideliter invocatus a parentibus et amicis eiusdem mulieris eam continuo restituit optatae sanitati.

20) Elisabeth, Gemahlin Ulrichs I. von Hanau. Ihr Ehevertrag ist auf den 2. Oktober 1272 datiert, sie selbst bis 1299 bezeugt. Vgl. UB zur Geschichte der Herren von Hanau und der ehemaligen Provinz Hanau, hg. von Heinrich REIMER (Hessisches UB 2/1, 1891) Nrr. 463, 798.

21) Elkerhausen südlich von Weilburg.